

positam refert *W E D E L I V S Aman. Mat. Med. p. 504.* Sed quanti hic lateant errores, nemo unus non videt. Primo enim lucem vehiculum effluviatorum *D I G B A E V S* constituit, cum tamen Physici certent & adhuc sub iudice lis sit quid lux sit, & qualis ejus natura, num accidens tantummodo sit & materiae aetherae motus velocissimus, an vero peculiaris quaedam substantia & materia subtilissima & fluidissima. Obscurum ergo per aequae obscurum explicatur. Deinde, si lux esset illud vehiculum, quod transportaret effluvia pulveris sympathetici, qui reservaretur in occidente ad aegrum in oriente constitutum; dicat nobis aliquis, quomodo effluvia, tempore, quo sol oritur, ac lucem ab oriente versus occidentem diffundit, ab hoc illum versus tendere debeant, cum iter plane vehiculo suo contrarium ingredi cogantur. Porro si lux est vehiculum effluviatorum saepius nominatorum, sequitur necessario, luce noctu absente effluvia non transportari posse ad aegrum, unde hic destitutus remedio, dolores sentiret, vulnusque iterum mutaretur in deterius. Neutrum tamen accidere, ipsi fatentur adversarii, unde quo jure lux transportator effluviatorum pulveris sympathetici dici possit, nos quidem non intelligimus. Accedit quod Pulvis Sympatheticus sal magis fixum sit, quam volatile, adeoque exiguam maxime effluviatorum copiam de se spargere potest. Dicit quoque *D I G B A E V S* vulnera atomos in aere expansos attrahere; sed haud gravatim nobis exponeret rogatus, si viveret, vulnerum vim attractricem, unde hanc illa acceperint, & quibus mediis ea utatur vis in attrahendis Vitrioli Effluviis. Nihil sane commercii recentioribus est Philosophis cum nugatrice illa vi attractrice. Sed videamus nunc quoque, quid *Celeberrimus S T V R M I V S* de pulvere sympathetico ejusque operandi ratione sentiat. Ille non esse rem adeo impossibilem aut captu difficilem arbitratur, ut particulae minutae a certis corporibus in magna praesertim

D

co-